



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput II. De Bono & malo in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

ejusque curam gerit; & quæ eum sic consideratum informat Ethica vocatur Oeconomica. Vel tandem spectatur ut in republica, aut principem, vel alium locum tenens, & eum quæ instruit Politica nuncupatur. Monastica mores informat hominis in se considerati: Oeconomica domesticam disciplinam tradit, & quæ mariti in conjugem, parentum in natos, domini in servos mutua sint officia præscribit: Politica seu civilis dicta optimam rempublicam instituit, atque hominem dirigit, ut ea, quæ ad reipublicæ totius statum optimum, & commune bonum spectant, probè exequatur.

CAPUT II.

De Bono & malo in genere.

Veteres dixere, bonum esse id, quod omnia appetunt, quia nihil appetitur, nisi habeat rationem, aut speciem boni. Bonum igitur est objectum appetitus: appetitus autem est propensio in id, quod conveniens videtur: ipsa actio aut natus in bonum, ut amor sanitatis, dicitur appetitus elicitus; ipsa vis ingenta, quæ hunc actum elicit, dicitur appetitus innatus, qui triplex est, naturalis, sensitivus, & rationalis.

Bonum aliud est per essentiam, quo in sensu, uti Christus dixit, *Nemo bonus, nisi solus Deus*. Aliud per participationem, dividiturque in bona corporis, ut sanitas, robur: in bona animi, ut scientia, virtus: & in bona fortunæ, ut divitiæ. Rursus vel prosequimur bonum, quia honestum est; vel quia jucundum; vel quia utile: unde triplex alia boni divisio in honestum, jucundum, & utile; quanquam triplex hoc boni genus possit simul reperiri: imò Cicero multis probat, nullum bonum esse verè utile, si non sit simul honestum; quod enim turpe est, plus habet in se mali, quam commodi: quod quidem argumentum plus habet ponderis in eo, qui Fidem profitetur Christianam.

Jam uti bonum consistit in perfectione & convenientia, sic malum in defectu, & privatione debitæ perfectionis: oppositorum enim oppositæ sunt rationes; & ut bonum ex integra causa, sic malum ex quolibet defectu oritur. *Nemo querat*, ait S. Aug. lib. 12. de Civ. Dei, *Causam efficientem male voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens*. Itaque ut malum naturale nihil est, quam defectus perfectionis naturalis: & malum artificiale privatio est rectitudinis artificiosæ: ita malum morale est defectus aut absentia rectitudinis moralis, aut bonitatis debitæ, quæ consistit in conformitate cum regulis morum, postea explicandis.

Bonum autem, inquit S. Thomas, principaliter est finis; nam ea, quæ sunt ad finem non dicuntur bona, nisi in ordine ad finem; finis verò duplex est, unus primarius & ultimus, qui, ut ostendemus, solus Deus est; alius proximus, & est bonum quasi secundarium, quod si ordinari possit ad principale bonum, verè est bonum; si à finali bono abducatur, non verum, sed apparens bonum est.